DE RABIE CANINA DISSERTATIO QUAM AD LAUREAM MEDICAM...

Aloisio Frari

DE

RABIE CANINA

Dissertatio

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

OBTINENDAM

IN LYCEO PATAVINO

LEGEBAT

ALOYSIUS FRARI

DALMATA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXL.

Rabies canina, improprio nomine hydrophobia, antiquissimis jam nota medicis, primum tamen a Celso, post a Galeno, longissime vero a Caelio Aureliano descripta, morbus sui generis est, in homine nunquam primarie oriundus, a rabidis vero canibus aliisque animalibus (lupis, vulpibus, felibus, equis, asinis, gallis etc.) per morsum, imo et linctum, in illo provocandus, atque phaenomenis convulsionum terribilium cum furore et peculiari mordendi nisu, dyspnoeae faucium que constrictionis spasmodicae, nec non valido plerumque aquae aliorumque fluidorum et objectorum splendentium horrore assentialibus insignitus.

Rabies canina seu communicata, juxta recentiorum opiniones, haudquaquam cum *rabie spontanea* est confundenda; quae cum causas, uti referunt, plerumque psychicas repetat, etiamsi in phaenomenorum evolutione atque intensitate a priori haud multum differat, prognoseos tamen atque therapiae modificationem exigit.

Origo morbi in animalibus, et speciatim in cane, nondum potuit exacte definiri. Ribba asse-

rit morbum hydrophobicum in Europam non evolvi originarie, sed ex Asia et Africa oriri, uti et reliqua contagia, quae inde in alias mundi partes propagantur et per infectionem continuam sustentantur. Sed antiquissimi medici in Asia et Africa artem exercentes, nullam rabiei descriptionem nobis praebuerunt; nec ingeniosus naturae observator Aristoteles; inter recentiores vero Larrey qui Gallorum exercitum in Asia et Africa sequutus est; Tieber qui longa itinera per regiones illas instituit, et anglus Thomas qui medicinam exercuit in India orientali testantur, rabiem caninam in provinciis illis esse rarissimam; unde contagium hoc non esse exoticum, sed ubique generari posse haud sine jure concludendum videtur.

Distinguimus plura, in decursu, stadia et quidem:

I. *Stadium prodromorum*. Prodromi rabiei caninae post morsum animalium rabidorum eo certius intrant, quo minus vulnus sanguinis fundebat, quo minor suppuratio et quo celerius reuniebatur; saepe vulnus ipsa sub morbi eruptione apertum adhuc videmus, plerumque jamjam sanatum. Sub inchoante hoc stadio vulnus evadit impurum, color ejus livescens, margines inaequales, e superficie funditur liquidum ichorosum, foetidum, acre, saepe sanguine mixtum; incipit dolere ac inflammari; nonnunquam brevi denuo clausum, pruritus, dein dolores trahentes punctorii aut horrores excipiunt, juxta nervos inde ad columnam vertebralem et cerebrum, pharyngem et regionem epigastricam diffundendi.

Haec symptomata raro desunt, nonnunquam tamen minus evoluta. In singulis casibus intumescentiae quoque consensuales glandularum lymphaticarum, axillarium, inguinalium observantur. Ad haec topica accedunt phaenomena universalia simultaneo tempore praesentia. Hilaritas transitoria, insolita inquietudo et tristitia, unde hoc stadium a nonnullis *melancholicum* dicitur, melancholia, somnus inquietus cum insomnia terrificis, nonnunquam in specie de canum rabidorum morsu; oculi splendent photophobi, pupilla coarctata, tinnitus aurium, vertigo, nec non animi deliquia, pulsus frequens, spastice contractus, anorexia, vomituritio, vomitus ipse, facies pallida, lineamenta ejus alienata. Stadium hocce plerumque ingruit intra decimum et sexagesimum diem ab infectione per morsum animalis hydrophobi; non tamen desunt observationes post menses tres, quatuor, imo et post unum, duos et plures annos a morsu demum hydrophobiae symptomata universalia surrexisse. An potius casus tales ad *rabiem spontaneam* nonnullorum referendi sint, non judico: mirabilis quidem foret contagii hydrophobici in organismo vivo per tantum temporis spatium existentia atque immutabilitas.

Stadium hoc melancholicum aliquando tantum 24 horas perdurat, aliquando tamen per tres usque ad duodecim dies excurrit.

II. *Stadium hydrophobicum.* Symptoma constans hujus stadii est *hygrophobia*, varia intensitate et modo se se manifestans, mox qua *phengophobia* in conspectum prodiens, cum aegar fluida magis ob splendorem, quam ob fluidita-

tem aversatur. Torquetur siti tantales, et dum ad hanc extinguendam aquam avidissime ori infundit, tristis experitur deglutitionem impeditam esse, cum pharynx spasmo tonico vehementissimo constringatur; dum iterum iterumque tentat, eundem experitur effectum. Summa oritur nausea omnis potus, praecipue vero aquae, cujus non modo adspectus, sed etiam omnium, quae aegro aquam in memoriam revocat, e. g. sonitus urinae excretae vel alius fluidi effusi, aquae vel venti (aerophobia), adspectus rei alicujus splendidae, e. g. vitri vel speculi, aegrum summa afficit anxietate et inquietudine, nec non paroxysmos rabiei excitat; nec minus aeger propriam deglutire valet salivam; quare etiam continuo expuit, magna siccitate cavi oris, nec non siti laborat inexplicabili. Impossibilitas vero deglutiendi fluida non semper est tanta, ut aegri nil omnino deglutire possint; non raro lac, vinum sine magna difficultate deglutiunt; nonnulli faciliori modo fluida calida, dummodo impediant, quominus vapores nasum intrent, aut oculos claudant.

Revertuntur insultus pluries per diem, pauca minuta prima ad mediam usque horam perdurantes; imo sub tentamine hoc mox erumpunt spasmi universales,

III. *Stadium* seu *spasticum* annuntiantes: spasmi universales, praeprimis musculos faciei et extremitates occupantes, vehementissimi, mox tonici mox clonici sunt, periodice revertuntur, initio solum ubi aeger liquidum deglutire conatur; tardius sensibilitas adeo increscit, ut sola idea liquidi vel adspectus splendentis metalli, vitri, strepitus, imo motus aeris, qui excitantur

cum porta aperiatur, lux major, adventus hominis peregrini spasmos provocare queat terribiles.

Sub insultu edunt sonos inarticulatos, canis latrantis similes, quod tamen symptoma a nonnullis denegatur auctoribus. Horror aquae etiam in hoc stadio symptoma constantissimum, nam spasmi variant pro circumstantiis; modo leves, modo vehementes, et singulis solummodo casibus eam assequuntur atrociam, ut furorem verum inducant adstantibus periculum minantem. Nonnunquam tamen, spasmis remittentibus, comparet delirium furiosum nisu invincibili omnia destruendi, mordendi, conspuendi adstantes, nec non robore taurino musculorum insignitum, ut a pluribus etiam difficulter coerceri possit, catenas dilacerans, ejulans voce peculiariter mutata, rauca; aliqui exinde rogant adstantes, ut eos ligent et potestate nocendi privent.

Haud raro etiam suffocationis phaenomena intrant, partim ob copiam salivae spissae in ore retentae, partim ob spasmum fauces constringentem. In viris priapismus dolorificus, spontanea seminis ejaculatio, adspectus horribilis, facies rubra, oculi scintillantes, truces, fixi, abdomen intumescit, stranguria, demum resolutis sphincteribus urinae et faeces involuntarie secedunt, lipothymia frequensque mors.

Paroxysmus talis quam saepissime per dimidium horae durat, quem postea intermissiones nonnullae sequuntur. Tempore remissionis miser summe anxius, tristis, dejectus de se, mox actorum reminiscitur, gemebundus tenebricosa quaerit loca, et nunc quoque objectorum supradi-

ctorum adspectu, vel imaginatione sola, ob summam meticulositatem aliis quoque impressionibus fortioribus facile ac instantanee in horrendos iterum insultus conjicitur. Nonnulli aegri rabie omnino non corripiuntur, et ad ultimum vitae momentum usque perfectum sensuum retinent usum, imo facultatem omni cum consequentia loquendi; animum tamen semper tristem dejectumque; plorant et queruntur de infortunio suo, loquuntur de fine suo horribili, ad mortem se praeparant, parentibus valedicunt. Circa finem stadii lingua arescit, laceratur, et non modo ipsa, sed etiam interna oris cavitas aphthis contegitur.

IV. *Stadium adynamicum*. Remittunt spasmi, pupilla dilatatur, accedit lipothymia, sopor, sudores viscidi, pulsus parvus, frequens, debilis, horror fluidorum decrescit, nonnunquam fere extinctus; aeger potum desiderat, bene deglutit, sui conscius, rabies omnino evanuit. Inde profani ad statum aegri meliorem concludunt, ast mors paucas post horas subsequitur.

Unicam causam excitantem homo, qui communicata solum rabie prehenditur, in specifico canum aliorumque superius nominatorum animalium, aut rabidorum, aut vehementer iratorum contagio habet; causae vero morbum in canibus excitantes variae nominantur, cum scilicet a quibusdam impeditum veneris exercitium, ab aliis nutrimenta corrupta putrida, ab aliis calor externus excessivus et frigus immodicum adcusantur.

Cum tamen non omnes demorsi in hydropho-

biam incidant, virus hocce aliorum contagiorum more dispositionem peculiarem requirere videtur, qua qui gaudent, facilius etiam periculum incurrunt. Actionem autem contagii secundant, ejusque evolutionem accelerant: atmosphaera fervens, exaestuatio, transpiratio cutis suppressa, aetas juvenilis, temperamentum cholericum, pathemata animi deprimentia, cura neglecta, cita vulneris coalitio, contagium plures simul corporia partes afficiens.

De causa proxima hydrophobiae plurimae extant hypotheses, vera tamen natura ejus hucusque alta caligine tecta.

Hufeland in nervorum intoxicatione consistere eam arbitratur. Berut specificam systematis nervosi adfectionem esse, hujusque formationem a morsus loco ordiri contendit. Qua ratione autem a contagio hydrophobico morbus hic in systemate nervoso provocare valeat, certo nondum est judicatum; imo variae dantur sententiae, quorum duae sunt principales: nonnulli enim adserunt contagium hydrophobicum omnino non absorberi, sed modo dynamico in systema nervosum agere, et imprimis quidem in organa respirationis et deglutitionis, nec non inde symptomata hydrophobiae immediata oriri; alii admittunt resorbtionem veneni hydrophobici in ipso vulnere, vel etiam vim quamdam primitivam in homines, unde borum sanguinis natura mutatur, et successive ipsum systema nervosum adficitur.

Nullo modo de valore unius alteriusve hypothesium decernere audeo, experientia nec non necessaria dexteritate carens, tamen resultata ad-

ducam quae experientia sincera de virus hydrophobici natura edocuit.

a. Evolvitur in canibus primarie, quin infectio praecesserit. Secundum observationes hac de re factas, canes frequentissime rabidi fiunt aestate fervida, sed et sub frigoris majori intensitate, magna temperaturae vicissitudine, venere impedita, defectu soliti victus, carnis et sanguinis tractatione crudeli.

Symptomata canis rabidi brevi sunt sequentia: statim sub exordio canis immutat modum suum agendi, inquietudinem ostendit peculiarem, nullibi manet diu, sine scopo hinc inde cursitat, morbo increscente canis sufugit ad plura etiam millaria, imprimis verberatus aut irritatus, inquietudine silente, domum iterum revertitur, obedientis in herum increscente malo decrescit, appetitus in alimenta solida minuitur statim, aquam et alia fluida videre et bibere potest; aliqui eam avide quaerunt, sed deglutire non valent ob faucium tumorem, ast hydrophobi non sunt; omnes alvo obstipa laborant, signum maxime characteristicum est vox et latratio peculiaris, rauca et anxietatem peculiarem exprimens, ita ut experti ex solo latratu, quin videant, canem rabidum agnoscant, in plurimis citius seriusve comparet propensio singularis mordendi initio feles, dein canes, tandem homines, caudam initio more solito gerunt, tandem languidiores laxe dependentem habent, minime versus abdomen retractam, titubant et extremitates posteriores, malo ingravescente, redeunt paralyticae. Debemus tamen distinguere rabiem *tacitam* a *furiosa*. Dantur casus, ubi exceptis insultibus periodicis, canis penitus sanus esse videtur, et

tamen ejus morsus, quin irritaretur, hydrophobiam excitare.

b. Contagium hoc *fixum* non volatile habendum, quare etiam medicus ad aegrum hoc morbo adfectum secure accedere potest; cavest solum ne mordeatur, aut salive aegri conspurcetur.

c. Ob naturam fixam contagii hydrophobici, si vestibus inhaeret, per annos remanere potest.

d. Organa virus rabidum secernentia sunt praeprimis glandulae salivales, licet ceteri humores ab eo immunes non reperiantur.

e. Etiam per animalia emortua virus propagari adhuc potest.

Prognosis hujusce morbi valdopere anceps et tristis est, cum rarissimi dentur casus ubi hydrophobia jamjam erupta sanata fuisset; facilior quidem prognosis, sed semper valde dubia ubi morbus in stadium prodromorum. Infectionis causa, morsus scilicet animalis cujusdam rabidi, praecipue canis, et genus hoc infectionis quam maxime est periculosum; duabus enim gaudet conditionibus principalibus, quae infectionem possibilem et faciliorem reddunt, id est vulnere et contactu insimul, et conductore optimo contagii id est saliva. Vulnera parva, quae minus edunt sanguinis, infaustioris semper sunt prognoseos. Vulnera in partibus corporis, ubi excisio impossibilis, sunt periculosiora. Morsus qui crassas transit vestes, laetius admittit praesagium. Morsus lupi rabidi majus quam canis secum fert periculum.

Rebus ita constitutis *therapiae* cardo in pro-

phylactica cura rite instituta versatur, atque melioria quam tractamen sanatorium sperare sinit, cum numerosis observationibus-edocti sciamus evolutionem hydrophobiae coerceri posse; itaque a contagio mundanda est plaga demorsa, illudque destruendum, ut resorbtio quanto citius impediatur. Partem itaque primam et praecipuam prophylaxeos ratio medendi topica constituit; quare vestes aegro exuuntur, tota superficies corporis scrupulose inspicitur, vulnerasque detecta

A. eluantur vel aqua pura, vel saponata, vel aceto mixta, imo urina alius hominis, vel lixivio cinerum, vel

B. excidatur plaga demorsa cum aliqua ultra et infra laesionis limites circumferentia (Rust), vel instituatur citissima amputatio, ubi vulnus in manus aut pedis digito ad ossa usque simul laesa penetraverit.

C. Ubi excisio fieri nequit, cucurbitae siccae adplicandae sunt, incisiones faciendae, donec nullus demum proveniat sanguis; dein adplicatur causticum actuale. Ob defectum ferri candentis, vel horrorem aegri in ferrum, adhibentur etiam caustica potentialia. Nonnulli ex recentioribus laudem maximam tribuunt *acidorum mineralium concentratorum* promptae adplicationi. Et ex salutari subsequo effectu non desunt qui de alcalina natura virus hydrophobici suspicantur.

Suadent alii praeparata mercurialia, mercurium subl. corr., praecipitatum rubrum et arsenicum album, cum tamen infausti saepe inde metuendi effectus, nonnisi sub defectu aliorum praescribenda videntur.

Longe praestantissimus declarant Hunter et

Rust kali causticum, prior in substantia, Rust gr. triginta solvit in aquae lb. una, et ex hac solutione vulnus eluitur, nec non postea linteum carptum solutione hac imbutum vulneri adplicatur, bis terve haec operatio repetitur, et ipsa solutio, si opus, magis saturatur. Nostro tempore felici cum successu adhibetur lapis infernalis, quo vulneris superficies tangitur, nec non, eschara detracta, ipse tactus bis terve renovatur.

D. Ut vero omne venenum eo certius destruatur, separata eschara, quae jam se formaverat post adplicationem caustici, suppuratio exigitur, ut organismi reactio exteriora versus determinetur, quo contagium, loco fors adhaerens, excutiatur, ejusque receptio, quoad possibile, praepediatur; ideoque vulnus totum obtegitur emplastro cantharidum et quotidie unguento terebinthinae, vel basilici, vel eleni deligatur. Ubi vero suppuratio parcior, et ipsa vulneris superficies sicca, memoratis unguentis additur pulvis cantharidum vel corticis meserei.

Dicemus quod in aliquibus regionibus empirismus adplicationem suasit cataplasmatum ex fol. et flor. astri montani, nec non ejus infusum interne adhibitum.

Hufeland per dimidium annum suppurationem continuari jubet; alii duos tresve menses sufficere credunt, quibus elapsis plaga ad cicatricem perducitur: quo casu unguentum simplex, vel linteum carptum solummodo adhibetur.

Non parvi quidem momenti est cura topica, non semper tamen sufficiens; adjunxere hinc et remedia interna, inter quae eminent

a. diaphoretica, alexipharmaca quondam di-

cta, uti theriaca, angelica, moschus, camphora, acetum simplex aut arometicum;

b. narcotica, praecipue belladonna et stramonium, opium sub forma pulv. Doweri;

c. Acidum oxymuriaticum dilutum, quale antimiasmaticum et anticontagiosum, acido sulphurico palmam eripere videtur.

d. Praeterea mercurialia, cantherides et kalia experientia prae multis aliis pharmacis commendari jubet.

Rabie jam evoluta, validissima methodus antiphlogistica a Caelio Aureliano, Boerhaave, Rugemont et a nonnullis Anglis celebrata, aliqua utilitate non destituta videtur.

Psychicum tandem tractamen adcommodandum absolute requiritur, quod in eo consistit, ut non aer modo perflans praepedistur, objecta splendentia spectatim fluida, lux intensa, spectatorum inutilium imo nocentium accessus, omnesque spasmorum et furoris causae arceantur; sed aegri etiam modo benevolo, sincere et metus experte tractentur, exhaurienis tristitiae metus, terroris alternatio celando periculum, expositionibus exhilarantibus mitigetur, et quies necessaria concedatur. Casu tandem quo omnia scientiae in curanda hydrophobia conatus irriti fuerint, et mors scenam claudat, ut virus rabidum penitus destruatur, cadaver nudum et profunde sepeliatur oportet, nec non vestimenta et supellectiles omnes comburantur, muri dealbentur asseresque eluantur.

THESES DEFENDENDAE

I.

Pereunt systemata, medicina immortalis.

II.

Physiologia medicinae fundamentum.

III.

In rabie caniua a prophylaxi tantummodo aliquid expectandum.

IV.

Incubationis stadium contagii hydrophobici, ultra sexaginta dies protractum, valde dubium.

V.

Labor et paupertas arthritidi inimica.

VI.

Nimius conjugum amor sterilitatis saepe causa.

VII.

Lactatio mercenaria et matri et infanti haud raro exitialis.

VIII.

Congestio abdominalis venosa diuturna facile dexteri cordis dilatationem inducere valet.

IX.

Medicina forensis pulcherrimus scientiae medicae flos.

SS 93684